

**<Lib. I, Q. 3, Art. 2: Utrum entitati cui primitas
correspondet intrinsece repugnet formaliter quiditatis
multiplicatio numeralis>**

1. Secundus articulus erat iste: Utrum entitati cui primitas
5 correspondet intrinsece repugnet formaliter quiditatis multiplicatio
numeralis.

<Status articuli>

2. Pro cuius articuli declaratione est cum diligentia advertendum
quod alicui entitati pluralitatem correspondere potest quatuor modis
10 intelligi: aut quod tali entitati correspondeat pluralitas personalis, aut
pluralitas idealis, aut pluralitas causalis, aut pluralitas essentialis.
Primo modo tenemus per fidem quod alicui entitati talis pluralitas
correspondet, et de hoc non est praesens intentio. Secundo modo est
varius modus dicendi doctorum: quidam ponunt eam simpliciter fore
15 necessariam, et quidam penitus excludunt. Tertio modo, si
intelligeretur modo Manicheorum pluralitas causalis ponitur, sed non
respectu eiusdem entitatis, quia secundum eos privationum causa
dicitur malum et positionum primum bonum dicitur fore causa, et de
hoc nihil ad praesens. Sed quarto modo est difficultas an essentialis
20 pluralitas, sive numeralis sive specifica, repugnet deitati, et de hoc est
praesens intentio.

C 49rb

<Conclusio 1>

3. Pro quo aliquo modo declarando sex pono conclusiones, tres
positivas et tres cum dictis doctorum aliquantulum collativas. Quarum
25 prima est ista: rationi deitatis repugnat intrinsece quiditatum
essentialium multiplicatio numeralis. Haec conclusio sic probatur:
cuicumque summe convenit unum oppositorum, eidem reliquum
formaliter repugnat; sed unitas essentialis et pluralitas essentialis sunt
opposita respectu eiusdem, et unitas essentialis summe convenit
30 rationi deitatis; ergo eidem repugnat formaliter pluralitas essentialis.
Consequentia patet et maior, quia opposita formaliter non possunt de
se invicem dici, aliter contradictoria de se ipsis possent mutuo
verificari. Et minor, quoad primam partem, est de se nota. Sed quoad
secundam probatur sic: quaelibet denominatio perfectionis simpliciter
35 summae competit rationi divinitatis; sed unitas essentialis est
denominatio perfectionis simpliciter; ergo summe competit rationi
deitatis. Consequentia et maior istius probationis patet. Et minor
apparet per rationem denominationis perfectionis simpliciter; nam
cuicumque inest unitas essentialis, melius est ipsum quam non ipsum;
40 quare etc.

4. Praeterea, sicut se habet unitas mathematica in ordine
numerosum, sic ratio deitatis in ordine entium; sed unitas mathematica

in ordine numerorum sic se habet quod eidem repugnat formaliter
habere dualitatem sive plurificari formaliter; ergo et sic se habebit
ratio deitatis in ordine entium quod eidem repugnabit quovis modo
multiplicari. Consequentia patet. Et maior declaratur, quoniam sicut
ad unitatem omnis multitudo reducitur numerorum, ita ad rationem
deitatis reducitur omnis multitudo creaturarum. Et quoad istam
similitudinem reductionis patet simpliciter maior. Sed minor probatur
sic: quoniam omnes tres rationes ex opposito conclusae repugnant
formaliter; sed unitas sumpta formaliter et pluralitas sunt rationes ex
opposito conclusae; ergo repugnant formaliter. Consequentia et maior
patent. Et minor est nota, quoniam ratio entis sumpta communiter est
per has duas differentias ex opposito conclusa, ut patet X
Metaphysicae; quare propositum.

C 49va

5. Et confirmatur ratio: in infinitum maioris simplicitatis est
ratio deitatis quacumque ratione unitatis mathematicae; sed ratio
unitatis mathematicae, ut est iam dictum, est omnino implurificabilis;
ergo a fortiori ratio deitatis erit simpliciter plurificabilis; quare
propositum.

6. Praeterea, cuicumque rationi individuali correspondet tota
possibilis et actualis perfectio suae speciei, eidem repugnaret esse cum
alio individuo in eadem specie. Sed rationi deitatis correspondet tota
possibilis et actualis perfectio suae speciei sive formae. Ergo eidem
correspondet repugnantia cum alio individuo simul existere eiusdem
speciei. Consequentia patet. Et maior declaratur, nam si Sorti
corresponderet quidquid est imaginabile contineri sub homine, non
posset dari Plato vel aliquis alius ab eo condistinctus, ex quo sibi talis
perfectio, si ita esset de facto, corresponderet; et sicut dicitur de isto,
ita de quocumque alio; quare maior videtur vera. Sed minor apparet,
quoniam deitas est ens universaliter perfectum, ergo omnis ratio
perfectionis eidem correspondet, et per consequens in eo nullo modo
cadere potest essentialis multiplicatio numeralis.

<Conclusio 2>

7. Secunda conclusio est haec: contradictionem implicat plures
deos existere ab invicem essentialiter condivisos. Ista conclusio quasi
sequitur ex praecedenti quae tamen sic inducitur: ex quibuscumque
repugnantibus contradictoria formaliter inferuntur; sed per

312,54 X *Metaphysicae*] ARIST., *Metaph.*, X, c. 4 (AL XXV-3, 203-205; I, c. 4; 1055a 3-33). 58 iam dictum] Cf. supra n. 4.

80 praecedentem conclusionem rationi deitatis repugnat intrinsece
quiditatum essentialium multiplicatio numeralis; ergo contradictionem
implicat plures deos existere ab invicem essentialiter conditos.
Maior patet, quoniam sive sit repugnantia contrarietatis sive
privationis, sive relationis, sive impossibilitatis, semper infert
contradictionem formalem; quare propositum.

85 <Conclusio 3>

8. Tertia conclusio est haec: unice rationi solum essentialiter
implurificabili deitatis formam correspondere simpliciter est necesse.
Ista conclusio sequi videtur ex duabus praecedentibus quae tamen sic
probat: cuicumque rationi repugnat numeralis quiditatis
90 multiplicatio, ipsum, si esset necessario, est unicum et non plura. Sed
ratio deitatis est, ut per praecedentem articulum probabiliter fuit
deductum, et ei repugnat numeralis quiditatis multiplicatio, ut dicit
prima conclusio; immo contradictionem implicat plures deos existere,
ut dicit secunda. Ergo de necessitate ratio deitatis est unica per
95 exclusionem cuiuslibet essentialis multiplicationis; et per consequens
habetur intentum de conclusionibus positivis; quare propositum.

<Conclusio 4>

9. Quarta conclusio est haec: convincenti ratione existit
demonstrabile plures deos non existere specificiter differentes. Haec
100 conclusio] sic probatur: impossibile est aliqua simpliciter esse aequalia
quae sunt simpliciter inaequalia; sed si duo dii ponerentur in esse, illi
essent simpliciter aequales, et si essent specificiter differentes, essent
simpliciter inaequales; ergo impossibile est tales duos existere
specificiter differentes. Maior apparet necessaria, quoniam aequalitas et
105 inaequalitas respectu eiusdem ex suis rationibus formalibus ex
opposito distinguuntur. Et minor apparet quoad utramque partem,
quoniam cum per rationem deitatis intelligamus communiter aliquid
quo melius ex cogitari non potest, sequitur quod si essent duo dii quod
essent simpliciter aequalis. Et secunda pars eiusdem minoris patet,
110 quoniam species sunt sicut numeri; sed impossibile est duos numeros
specie differentes esse aequales, ut apparet; ergo et impossibile est
tales duos existere specificiter differentes, et per consequens cum totum
antecedens sit per se notum, sequitur quod et consequens, et ita
habetur intentum.

312,92 quiditatis] *mg. a. m. C*

93 prima conclusio] Cf. supra n. 3-6. 94 dicit secunda] Cf. supra n. 7. 110
species...numeri] Resp. ARIST., *Metaph.*, VIII, c. 3 (AL XXV-3, 173; H, c. 3; 1043b
33-1044a 2).

10. Praeterea, quaecumque differunt specie sunt ad invicem subordinata; sed impossibile est duos deos ad invicem subordinari; ergo impossibile est duos deos specificè differre. Consequentia patet et maior, quoniam ordo specificus sequitur ordinem numerorum. Sed constat quod numeri sunt ad invicem subordinati; ergo propositum. Et minor probatur, quoniam quaecumque subordinantur, sic se habent quod unum est eminenter alterius contentivum; sed impossibile est unum Deum esse alterius contentivum; ergo impossibile est ipsos ad invicem subordinari. Et minor istius propositionis declaratur, quoniam sit unus Deus *a*, et alter *b*; et sit per concessum quod *a* eminenter contineat *b*. Tunc arguo sic: *a* et *b* sunt aequalia; sed *a* est eminenter contentivum *b*; ergo *a* est eminenter contentivum sui ipsius. Consequentia patet, quia quidquid eminenter continet unum aequale, eminenter continet et reliquum; sed consequens est impossibile, quia tunc idem esset se ipso perfectius, quod est impossibile. Si autem diceretur quod *a* et *b* non sunt aequalia, ergo sequitur quod unus ab alio dependet et per consequens non est summum bonum, et ita non esset Deus cum, ut dictum est, per Deum intelligimus id quo melius excogitari non potest; quare propositum.

11. Praeterea, inter quascumque species est possibilis intermedia; si ergo esset possibile plures deos esse differentes specificè, sequitur quod inter illos esset possibilis species intermedia. Consequentia et minor patent. Et maior declaratur, quoniam inter quascumque species est excessus, et non indivisibilis ergo divisibilis. Et per consequens per medietatem illius excessus esset possibilis intermedia species produci, et tunc ultra inter illos deos est possibilis alia entitas. Vel illa erit Deus, vel non-Deus. Si non-Deus, ergo non est Deus Deo perfectior quod implicat repugnantiam manifestam. Si Deus, ergo sunt tres dii, magnus, maior et maximum, et per consequens inaequales. Et ita duo ipsorum non essent dii quod est contra suppositum.

<Conclusio 5>

12. Quinta conclusio quam pono contra imaginationem Doctoris Subtilis et magistri Ioannis de Ripa est ista: non est nobis convincenti ratione demonstrabile plures deos non existere numeraliter ab invicem conclusos. Ista conclusio sic probatur: quia si posset convincenti ratione demonstrari, aut hoc esset propter summam simplicitatem cui repugnat plurificari, aut propter repugnantiam voluntatum, aut propter deitatis immensitatem cui repugnat non existere in quolibet existente. Primum non convinceret, quia licet forsitan diceretur tali simplicitate repugnat specifica multiplicatio quae ponit varios gradus in summa simplicitate, non tamen eidem repugnat multiplicatio individualis, ut conceditur in angelis et animabus intellectivis quae, quamvis sint

indivisibiles et simplices, tamen eis, ut dictum est, non videtur repugnare multiplicatio individualis. Nec secundum obviat, videlicet repugnantia voluntatum, quia sicut est imaginabile in diversis voluntatum conformitatem(?) per gratiam ut in beatis, ita est imaginabile quod inter diversa sit huiusmodi voluntatum conformitas per naturam. Nec tertium obviat, quia tunc quilibet esset ubique et sic unus in alio; hoc non esset sufficiens medium, quia sic repugnaret Patri esse in Filio vel e contra. Nunc vero ratione ipsorum immensitatis unus esset in alio et tamen nullus esset alter, sicut nunc de facto praesentialiter Deus est in qualibet creatura cui tamen non est idem per identitatem essentialem; quare etc.

13. Praeterea, nulla ratio ex qua evidenter non sequitur contradictio, cogit intellectum ad assentiendum conclusioni intentae per huiusmodi rationem; sed quaelibet ratio sumpta ex hoc quod plures dii sunt, est talis ex qua non evidenter sequitur contradictio; ergo nulla talis cogit intellectum ad assentiendum plures deos non esse. Consequentia patet et maior ex hoc, quoniam quodlibet quod evidenter non includit contradictionem, potest ab intellectu iudicari possibile, et per consequens investigare per rationem qua hoc esset concedendum esse possibile. Et ita intellectus ad nullum tale necessario cogitur; quod erat probandum. Et minor patet, quoniam ex ista propositione ‘plures dii sunt’ non apparet sequi maior contradictio] quam quod plures personae in divinis sunt ut patet <menti> mere indifferenti, immo forsitan potius iudicaret istam impossibile ‘plures personae divinae sunt’ quam istam ‘plures dii sunt’; quare propositum.

C 50rb

<Dubium aliquod>

14. Sed hic oritur dubium. Videtur quod secunda conclusio contradicat isti quintae. Dicit namque illa secunda conclusio quod contradictionem implicat plures deos existere ab invicem essentialiter divisos, et nunc dicit quod non est convincenti ratione demonstrabile plures deos non existere numeraliter ab invicem divisos. CONTRA: omnis ratio deducens ad concedendum contradictoria vel aequivalenter est convincens intellectum; sed ratio inducens ad hoc quod tunc sequeretur quod essent plures dii inducit conclusionem includentem contradictionem, quia plures deos esse ut dicit secunda conclusio, includit contradictionem; ergo propositum.

15. Hic DICO quod non ex hoc quod intellectus concedit contradictionem dicitur convictus. Et ratio est quia sicut visus, non ex hoc quod non percipit excellens visibile, dicitur caecus, sed ex hoc

185 secunda conclusio] Cf. supra n. 7.

quod aptus natus est videre certum visibile, et per aliquod
 impedimentum videre non potest. Sic conformiter intellectus noster,
 suo praecise naturali lumine elevatus, non potest pervenire ad notitiam
 cuiuslibet veritatis. Et ideo, quamvis ex sua impotentia circa tales
 veritates et falsitates oppositas, non possit cernere contradictionem
 quam concedit, ideo non dicitur convictus, sed tunc dicitur convictus
 quis per ea quae concessit reducitur ad oppositum concessorum,
 cuiusmodi non est in proposito. Unde philosophi multas concedebant
 contradictiones quas non iudicabant fore tales, nam concedebant
 Deum esse et Deum non esse trinum et unum. Et tamen ista
 consequentia est necessaria, licet non sit evidens in lumine naturali
 'Deus non est trinus et unus, ergo Deus non est'. Sic igitur apparet
 quod frequenter concedebant propositiones contradictionem
 includentes, et tamen ipsas non putabant includere contradictionem.
 Aliud est igitur dicere quod plures deos existere includat
 contradictionem, et aliud quod hoc non est mihi convincenti ratione
 demonstrabile quod sic esse includat contradictionem. Sicut
 contradictionem includit Deum esse et Deum non esse trinum et
 unum, et tamen non est convincenti ratione demonstrabile quod illae
 propositiones includunt contradictionem.

16. Et si QUAERATUR: unde ergo oritur iudicium quod tales
 propositiones includunt contradictionem? DICO breviter quod ex
 acceptis a fide et revelatione et lectione assidua Scripturarum. Sic
 igitur patet ad illud dubium.

<Conclusio 6>

17. Sexta conclusio et finalis est ista: plures deos non existere et
 specificè vel numeraliter non differre, est solum probabiliter vel fidei
 radio| viatorum mentibus declaratum. Ista conclusio breviter sic
 probatur: nullus articulus fidei potest pro statu viae viatoribus
 demonstrative concludi; sed esse unum Deum per exclusionem
 plurium deorum est articulus fidei; ergo propositum. Consequentia
 patet, et maior ex hoc quoniam fides et scientia non possunt respectu
 eiusdem conclusionis intellectum simul vitaliter immutare, ut dictum
 est in 2^o articulo 1^{ae} quaestionis circa prologum. Sed si pro statu viae
 esset naturaliter convincenti ratione talis articulus demonstrabilis, talis
 posset desinere esse articulus fidei, et per consequens iste non tot
 articulos teneretur credere quot et alii, quod non videtur verum. Et
 minor apparet per symbolum credo in unum Deum, quem articulum

229 patet] scrip. pos. maior sed corr. signis transp. C

230 dictum est] Cf. PETRI DE CANDIA, *In I Sent.*, prol., q. 1, art. 2.

exponens venerabilis doctor magister Alexander de Hales, III libro circa finem dicit: “Cum dicitur ‘credo in unum Deum’, excluditur duplex error, scilicet error infidelitatis gentilium; per hoc quod dicit ‘in Deum’ ipsi enim non credunt in Deum sed in idolis aureis sive
 240 argentuis, sicut in Psalmo dicitur: *Simulacra gentium argentum et aurum*. Per hoc autem quod dicit ‘in unum’, error Manicheorum excluditur. Ipsi enim dicunt duo esse principia, unum lucis, alterum tenebrarum, unum boni, alterum mali, unum Creatorem visibilium, alterum Creatorem invisibilium. Istos ergo errores evacuans fides
 245 catholica dicit ‘credo in unum Deum’, non in idolis, non in creatura sed in Deum; non in deos sed in unum Deum. Accipitur ... iste articulus Deut. 6... : *Audi Israel Deus tuus unus est.*” Haec ille.

18. Ex quibus apparet quod, quia unitas Dei per exclusionem pluralitatis non poterat demonstrative concludi, necessaria fuerit
 250 expressio unitatis ut errores hereticorum fideles Christi facilius deviant. Ista etiam videtur intentio Rabbi Moysi libro suo III cap. 6 dicentis quod “unitas Dei accepta est a lege,” quare propositum.

<Argumenta aliorum contra conclusionem quintam Petri de Candia>

19. Sed quia de omnibus aliis conclusionibus, quinta excepta, non videtur nimia difficultas, ideo ut veritas praesentis articuli clarius appareat, arguo contra illam quintam conclusionem. Et quoniam ipsa multos inimicos non parvae auctoritatis videtur habere, ideo ipsorum iacula per ordinem proponemus. Primo rationes philosophorum,
 260 secundo rationes antiquorum doctorum, et tertio rationes modernorum, videlicet Doctoris Subtilis et magistri Ioannis de Ripa quia in hac materia se putant per demonstrationis medium alios excessisse.

20. Arguo igitur primo per rationes Aristotelis, non verba sed sententiam recitando. Quaecumque numeraliter differunt et specificè
 265 conveniunt, differunt ratione quantitatis et materiae; sed in suprema intelligentia nulla reperitur ratio quantitatis; ergo sequitur quod ibi non potest esse multiplicatio individuorum in eadem specie. Consequentia patet et minor, quoniam intelligentiae sunt formae separatae a condicionibus materialibus. Sed maior probatur, quoniam differentia

C 50vb

236 Alexander...Hales] Cf. *Summa fratris Alexandri*, III ??? **240** Simulacra...241 aurum] Ps. 134, 15. **247** Audi...est] Deut. 6, 4. **251** Rabbi Moysi] MOYSI MAIMONIDES, *Doctor perplexorum*, I, c. 75 (ed. Buxtorfius, 175); allegatur a IOANNE DUNS SCOTO, *Ordinatio*, I, d. 2, p. 1, q. 3, n. 163 (ed. Vaticana, II, p. 225). **263** rationes Aristotelis] Cf. ARIST., *Metaph.*, V, c. 6 (AL XXV-3, 102; Δ, c. 6; 1016b 33): numero quidem quorum materia una; eiusdem, *Metaph.*, VII, c. 8 (AL XXV-3, 147; 1034a 6-7): diversa quidem propter materiam.

specifica rerum et differentia individualis non sunt eadem 270
differentiae, aliter qui differret ab aliquo numeraliter, differret ab
eodem specificice quod falsum videtur. Ergo apparet quod sunt diversae
differentiae.

21. Quaero ergo unde sumitur in nobis differentia specifica et 275
individualis? Nam omne quod de nobis imaginamur vel est materia vel
forma vel compositum ex his vel accidentia istas naturas naturaliter
communia; sed constat quod ab accidentibus non sumuntur istae
differentiae cum sint intrinsecae; ergo oportet quod a partibus
essentialibus, quoniam a composito non possunt immediate sumi, quia 280
sic inter specificam differentiam et individualem nulla videretur
distinctio alterius rationis. Ergo cum differentia specifica non sumatur
a materia, quia animalia diversarum rationum habent materiam
eiusdem rationis, oportet quod sumatur a forma, et per consequens
cum ab alio differentia individualis sumatur, sequitur quod a materia,
et per consequens omnis multiplicatio individuorum in eadem specie 285
est ratione quantitatis et materiae. Et cum intelligentia suprema nulla
sit huiusmodi ratio, sequitur propositum. Ista ratio sumitur ex XII
Metaphysicae.

22. Praeterea, mundus non potest esse nisi unus; ergo a fortiori 290
nec primus motor potest esse nisi unus. Consequentia videtur satis
nota quam tamen sic probo: quia si possent esse plures motores, stante
mundi unitate, vel ambo moverent idem mobile vel unus tantum. Si
ambo, cum unus sufficiat, alter superfluit. Si unus tantum, sequitur
quod alter permanet otiosus. Et antecedens patet, quia quod constat ex 295
tota sua materia non videtur qualiter possit individualiter plurificari;
sed mundus constat ex tota sua materia; ergo non videtur qualiter
possit plurificari. Ergo pariformiter ubi nulla est materialis ratio, non
videtur possibilis multiplicatio individualitatis. Ista ratio sumitur ex I
De caelo et mundo, ubi probat mundi unitatem per praedictas duas 300
radices.

23. Praeterea, si ponantur duo dii, erunt duo necesse esse, et per 305
consequens conveniunt in ratione necessitatis; sed quaecumque
conveniunt et differunt, per aliud conveniunt et per aliud differunt,
quia idem secundum idem non potest esse immediatum et primum
subiectum oppositionis. Si ergo conveniunt per rationem necessitatis, 305
ergo per aliam rationem differunt, sed si illa detur cum non sit ratio
necessitatis, sequitur quod erit causa extrinseca per quam ista duo
differunt, et per consequens ista duo non sunt necesse esse. Ista ratio

287 XII Metaphysicae] ARIST., *Metaph.*, XII, c. 8 (AL XXV-3, 263-264; Λ, c. 8; 1074a
31-38). 296 mundus...materia] ARIST., *De caelo*, I, c. 9 (A, c. 9; 279a 8-9): Mundus
totus est compositus ex materia sua tota.

sumitur ex dictis Avicennae, V *Metaphysicae* cap. 8, ex quo haec ratio
310 sententialiter trahitur ut ibidem apparet.

24. Praeterea, quod ex sua ratione formali totaliter determinatur
ad esse, statim totum in esse ponitur, et non potest individualiter
multiplicari; sed necesse esse ex sua ratione formali totaliter
determinatur ad esse; ergo necesse esse totum statim in esse ponitur, et
315 non potest individualiter multiplicari. Consequentia patet, et maior
declaratur: si enim humanitas, ex sua ratione formali, haberet se
ponere in esse secundum quodlibet quod sibi correspondet, eo ipso
quod esse humanitas numquam in posterum posset poni aliquid quod
rationem humanitatis participaret, ex quo iam tota est posita. Ergo
320 apparet maior. Sed minor est quasi manifesta, quia necesse esse
totaliter in esse ponitur et non sicut contingens esse cuius totus
ambitus non statim ponitur in esse existentiae actualis. Ista ratio
sumitur ex dictis eiusdem Avicennae libro et capitulo praeallegatis.

25. Praeterea, quodlibet superlativum de uno solo dicitur; sed
325 esse optimum est superlativum; ergo esse optimum de uno solo
dicitur, et per consequens est unus solus Deus. Maior videtur ex hoc
quoniam ex definitione quid nominis huius termini superlativi idem
est quod super omnia latum. Ergo videtur quod non potest nisi uni soli
convenire; et minor est de se nota; quare propositum. Ista ratio sumitur
330 ex dictis Commentatoris, I *Ethicorum* commento 67, ubi inducit hanc
contradictionem: si plura sunt optima nihil, inquit, est optimum, quia
optimum est dicit quod uni soli convenit. Et istae sunt rationes quibus
isti philosophi probant unum Deum esse.

<Responsio ad argumenta supra dicta>

335 26. Ad istas rationes respondeo breviter. Ad primam Aristotelis
cum pro fundamento habet quod multiplicatio individuorum est
ratione quantitatis et materiae, illam simpliciter nego. Unde duo angeli
sunt in eadem specie et duae animae intellectivae, et tamen in eis nulla
est ratio quantitatis et materiae; et ideo illud fundamentum videtur
340 principii petitio. Verumtamen quia inquit unde sumitur ratio
differentiae specificae et individualis, dico breviter quod ab ipsomet
individuo et non sequitur ergo non differunt. Et ratio est, quia ita
forma asini et forma hominis differunt numeraliter sicut et ipsorum
materiae. Et tunc quaero: a quo sumitur ipsarum formarum ratio
345 individuales? Et certe vel erit processus in infinitum, vel standum est
quod se ipsis differunt numeraliter et specificae.

C 51rb

309 Avicennae] AVICENNAE, *Metaph.*, V, c. 8 (ed. S. Van Riet ???). 323 Avicennae] Cf.
supra n. 23. 330 Commentatoris] EUSTRATII, *In Eth. Nic.*, I ??? 335 Ad primam] Cf.
supra n. 20-21.

27. Ad secundam cum quaeritur si essent plures motores etc., dico, dato quod sibi concederetur quod sunt duo tales primi eiusdem speciei, adhuc non habet aliquod inconveniens. Et quando dicit quod unus vel est superfluum vel otiosus, dico quod neutrum sequitur. Et ratio est, quia non est imaginandum quod suum formale et proprium exercitium(?) sit circa mundi volubilitatem, immo circa speculari. Sicut Deus, antequam produxit mundum, non dicitur otiosus fuisse cum aeternaliter se ipsum specularatur. Nec etiam per hoc quod nunc Deus sufficit ad productionem effectus causae secundae, causa secunda superfluit; sic diceretur consimiliter ibidem. 350 355

28. Ad tertium cum assumitur tunc essent duo necesse esse sit in nomine Domini tunc convenirent in necesse esse, hic dico breviter: ratio necessitatis esset eis duplex, scilicet specifica et individualis. Et ideo per rationem necessitatis convenirent et per rationem necessitatis differrent. Sed quia posset dici: quae est ista ratio specifica? Ideo dico aliter, non metaphoricando(?), quod per idem realiter conveniunt et differunt sicut nunc Sortes et Plato. Ita illa duo necesse esse se ipsis differrent et convenirent, quia si per aliam rationem ego quaererem de illa et sic vel esset processus in infinitum, vel standum in prima quod se ipsis conveniunt et differunt. 360 365

29. Ad quartum, dato quod totum sibi concederetur, nihil facit ad propositum. Et ratio est, quia sic ita quod necesse esse determinatur ad esse intelligo sic quod non sicut se habet contingens cuius successive egreditur successive ratio sua in esse sicut necesse esse, sed cuicumque competit necesse esse est statim sic ita, tunc dico, dato quod ponerem illos duos deos, non dicerem quod unus post alium egreditur per viam productionis, immo sunt coaevi et coaeterni, et ideo imaginatio multum est exilis. 370

30. Ad quintum et ultimum cum dicitur quod omne superlativum uni soli convenit, hic dico quod terminus superlativus dupliciter solet exponi, videlicet positive et negative. Positive, ut verbi gratia, Sortes est albissimus, Sortes est albius quocumque alio a se, ideo Sortes est albissimus. Negative, Sortes est albus et nullus est albius Sorte, ideo Sortes dicitur albissimus. Ita dico in proposito quod cum dicit Commentator: si plura sunt optima, nihil esset optimum, exponendo illum terminum positive| consequentia sua esset bona; sed antecedens impossibile, quia aequivaleret huic plura sunt bona quorum quodlibet est melius quocumque alio a se quae propositio manifesta includit repugnantiam. Et ideo non est mirum si ex illa infertur 'nihil est optimum'. Si autem accipiatur negative, antecedens concederetur ab 375 380 385

C 51va

347 Ad secundam] Cf. supra n. 22. 357 Ad tertium] Cf. supra n. 23. 367 Ad quartum] Cf. supra n. 24. 375 Ad quintum] Cf. supra n. 25.

illo qui poneret se ad sustinendum oppositam partem per viam obligationis, et tunc negaret consequentiam. Et sic apparet quod argumenta istorum philosophorum modicam habent apparentiam ad
 390 concludendum unitatem primi. Remanet ergo illa conclusio in suo robore, videlicet quod non est nobis convincenti ratione demonstrabile plures deos non existere numeraliter ab invicem condivisos. Et istud sufficiat pro lectione praesenti gratias nobis et Deo principaliter semper, Amen.

395 <Argumenta doctorum modernorum>

31. Contra illam quintam conclusionem arguo per argumenta quae facit dominus Bonaventura, distinctione 2, quaestione 1 reducendo ipsa in forma. Arguo igitur sic: si sunt plures dii, sequitur quod non sunt plures dii; ergo contradictionem includit plures deos
 400 esse. Consequentia ista patet, et antecedens probatur, videlicet ista condicionalis ‘si plures dii sunt, non plures dii sunt’. Quaecumque in infinitum plus disconveniunt quam duo contradictoria, positio unius est non esse alterius et e contra. Sed si sunt dii multi(?) in infinitum plus disconveniunt quam duo contradictoria, ergo positio unius infert
 405 negationem alterius, et per consequens si sunt plures dii non sunt plures dii. Consequentia ista patet, et maior declaratur, nam quae minus disconvenire videretur, et sic se habent quod unum est alterius exclusivum, a fortiori illa quae magis disconveniunt sic se habebunt quod unum erit alterius exclusivum. Ergo si contradictoria sic se
 410 habent quod unum est alterius exclusivum, utputa affirmatio excludit negationem et e contra, et hoc ex sua disconvenientia non possunt simul stare, sequitur quod a fortiori quae in infinitum magis disconveniunt quam contradictoria, sic se habebunt quod positio unius erit negatio alterius. Sed probatur minor, videlicet quod si multi dii
 415 ponantur, ipsi plus disconvenirent quam duo contradictoria, quoniam contradictio videtur relatio consurgens ex extremis repugnantibus. Cum igitur impossibile sit relationem excedere sua extrema, sequitur quod tanta erit quantitas contradictionis, quanta est extremorum repugnantia positiva. Sed quibuscumque aliis a Deo signatis, minoris
 420 sunt perfectionis ipsi Deo, ergo et repugnantia minor. Et per consequens si duo dii ponerentur, inter eos maior consurgeret repugnantia quam inter] contradictoria, et per consequens unus esset formaliter alterius exclusivus; quare propositum. C 51vb

422 et...423 propositum] *in imo fol. C*

397 Bonaventura] BONAVENTURAE, *In I Sent.*, d. 2, art. un., q. 1 (ed. Quaracchi, I, p. 50a-52b).

32. Praeterea, quaecumque sunt duae latitudines oppositae, quidquid participat summum gradum unius est sub non-gradu alterius, ut patet de albedine et nigredine. Nam quidquid participat summum gradum albedinis est sub non-gradu nigredinis. Sed convenientia et disconvenientia sunt duae imaginabiles oppositae latitudines. Ergo quidquid participaret summum gradum unius esset sub non-gradu alterius. Sed si ponantur duo dii summe conveniunt quia quilibet eorum esset universaliter et complete perfectus; ergo ambo participarent summum gradum latitudinis convenientiae, et per consequens ambo essent sub non-gradu disconvenientiae, et ita nullatenus different, et sic sequitur quod essent idem.

33. Praeterea, si sunt dii sequitur quod quilibet illorum erit potentialis et per consequens nullus illorum erit Deus. Prima consequentia probatur, quoniam si sunt dii, quilibet eorum erit immensus; sed de ratione immensitatis est coexistere in quolibet ente imaginabili extra se; ergo si sunt duo dii unus erit in alio, sed non per circumincessionem, cum ille modus essendi in solummodo reperitur intra illa quae sunt eiusdem naturae singularis, ergo de necessitate aliquo alio modo essendi in. Sed quicumque alius denotat potentialitatem in recipiente, ut patet per omnes illos modos essendi in quos enumerat Philosophus, IV *Ethicorum*; quare propositum.

34. Praeterea, si sunt plures dii, aut unus intelligit alterum aut non. Si non, ergo uterque est ignorans. Si sic, aut ergo per praesentiam, aut per speciem, aut per se ipsum. Si primo modo, ergo unus Deus illabatur alteri Deo, et per consequens perficit ipsum, et ita non est Deus. Si per speciem, ergo alter est potentialis cum sit alicuius accidentis susceptivus, puta illius speciei, et per consequens non est Deus. Si per se ipsum intelligit alium, ergo unus est exemplar alterius et per consequens principium, quare alter non est Deus. Et consequentia patet, quoniam forma exemplaris non potest aliter quam per modum principii intelligi; quare propositum.

35. Praeterea, si sunt duo dii, aut unus diligit alterum, aut non. Si non, ergo uterque illorum est malus, cum quodlibet bonus sit ab eis diligendum et non facerent, et per consequens neuter illorum esset Deus. Si sic, cum uterque illorum sit summum bonum, sequitur quod uterque illorum esset diligendus amore fruitionis, et per consequens quilibet illorum frueretur altero, et ita quilibet illorum altero indigeret, et sic neuter esset summum bonum, quare nec Deus; quod est propositum.

444 IV *Ethicorum*] Potius ARIST., *Physica*, IV, c. 3 (AL VII-1, 142-143; Δ, c. 3; 210a 14-24).

36. Praeterea, si essent duo dii, sequitur quod quilibet illorum sit
 465 omnipotens et per consequens quilibet illorum posset facere quod fieri
 includit contradictionem; sed alterum illorum non esse nullam
 includit contradictionem; ergo unus posset facere alterum illorum non
 esse, et non est maior ratio de uno quam de alio; ergo quilibet illorum
 posset facere alterum illorum non esse, et per consequens neuter
 illorum esset Deus. Consequentia et maior patent. Probo minorem,
 470 nam signo unum illorum deorum et sit *a*, et alterum similiter signo per
b. Tunc arguo sic: *a* est, ergo *b* est. quaero an ista consequentia sit
 bona et formalis an non. Si sic, ergo unus est de ratione intrinseca
 alterius et non tamquam pars essentialis cum sint indivisibiles; ergo
 sequitur quod unus est alius vel saltem requisitum ad esse alterius, et
 475 ita unus indiget alio; quare neuter illorum est Deus. Si consequentia
 non sit bona et formalis, ergo ista stant simul *a* est et nullum *b* est, et
 per consequens *b* non repugnat formaliter non esse, quare *b* non esse
 non includit contradictionem; quod erat probandum. Et licet istae
 rationes in rei veritate viderentur totaliter diversae a rationibus quas
 480 format dominus Bonaventura tamen ex suis radicibus procedunt, quas
 tamen formavi moderniori forma ut magis appareant coloratae.

<Contra rationes superius factas>

37. Ad istas igitur respondeo. Et primo ad primam cum dicitur
 quod plures deos esse includit contradictionem. Hoc ego prius
 485 concedo, tamen dico quod hoc non est evidenter demonstrative quod
 Ad probationem cum dicitur quoniam si plures dii sunt, non
 plures dii sunt, negaretur consequentia ab oppositum sustinente. Et ad
 probationem consequentiae cum dicitur quoniam quae magis
 disconveniunt quam contradictoria unum infert non esse alterius, hic
 490 dico pro materia argumenti quod, sicut alias dixi in 2^o articulo
 quaestionis prologi, contradictio est minima oppositio quoniam ex
 quibus quibuslibet repugnantibus infertur contradictio, non ergo oritur
 impossibilitas contradictoriorum ad invicem ex quantitate
 oppositionis, sed praecise ex qualitate, quia videlicet unum enuntiat
 495 positionem alicuius et alterum primo et principaliter et adaequate non
 esse illius, ita quod ibi nulla sunt extrema positiva. Et ideo ista
 consequentia non valet 'ista minus repugnant et non possunt simul
 esse, ergo a fortiori si ista magis repugnant non poterunt simul esse'
 propter causam iam dictam. Unde absque dubio, si duo dii ponerentur
 500 infinite disconvenirent, non tamen propter hoc unus inferreret non esse

477 consequens] in rei veritate videretur totaliter diversae *add. sed del. a. m. signis va-cat*
 C 480 suis] formavi *add. sed del. C*

490 alias dixi] PETRI DE CANDIA, *In I Sent.*, prol., art. 2.

alterius. Nec est imaginandum quod ista disconvenientia esset
 C 52rb quaedam formalis| repugnantia, videlicet contrarietatis vel privationis,
 sed potius est differentia individualis, sicut dicitur esse aliquorum in
 eadem specie ut Sortis et Platonis. Unde bene sequitur quod unus non
 est alius, sed quod esse unius inferat non esse alterius nullo modo, non
 plus quam si argueretur ‘Sortes est, ergo Plato non est’; quare apparet
 propositum. 505

38. Ad secundum cum dicitur de duabus latitudinibus oppositis,
 illud videtur verum quando imaginatio talium duarum latitudinum
 sumitur ex duobus positivis respectu tertii, ut apparet in exemplo 510
 posito de albedine et nigredine respectu susceptibilis. Sed in proposito
 non est verum, quoniam convenientia rei non est res distincta a re
 conveniente et disconvenientia a re disconveniente, immo eadem res
 est convenientia et disconvenientia, quoniam si essent res distinctae,
 illae etiam convenientiae ad invicem convenirent et disconvenirent. Et 515
 ita quaererem de illis aliis, et sic vel esset processus in infinitum, vel
 standum est in primo.

39. Praeterea, si Deus separaret illas convenientias a rebus quae
 conveniunt et disconveniunt, vel convenirent et disconvenirent vel
 non. Si sic, habetur propositum. Si non, ergo darentur res in rerum 520
 natura quae nec essent idem nec different, quod non capit imaginatio.
 Sic ergo dico quod illi duo dii summe conveniunt et summe different,
 quia quantaessent, tantaessent, et quantaessent, tantaessent
 different, et sic apparet quod unus non esset alius; quare etc.

40. Ad tertium cum assumitur quod non essent plures dii quilibet 525
 eorum esset potentialis per hoc quod quilibet eorum esset immensus et
 ita unus esset in alio. Hic dico quod ista probatio sumit duas
 propositiones quae non sunt nisi creditae, videlicet quod Deus sit
 immensus et similiter quod ex hoc quod est immensus sit ubique, quod
 non videtur evidenter demonstrabile. Tamen adhuc illis sibi concessis, 530
 non sequitur quod intendit inferre, quia dato quod unus esset in alio,
 hoc esset per unum modum essendi in qui se haberet aequivalenter ad
 modum essendi per circumincessionem, et non per aliquem modum
 positum a Philosopho, IV *Physicorum*. Quoniam sicut una persona est
 in alia ratione suae immedsatis, ita et ibi. Et quando dicitur quod non 535
 esset modus essendi per circumincessionem verum est, sed esset quasi
 aequivalens ratione utriusque summae actualitatis et infinitatis qui
 excludit omnem potentialitatem.

41. Ad quartum cum assumitur vel unus intelligit alium vel non,
 dico quod quacumque parte data, non sequitur quod intendit, quoniam 540
 quod Deus intelligit aliquid a se distinctum, non est demonstrative

534 a Philosopho] Cf. supra n. 33.

probatum. Et ideo, dato quod unus non intelligeret alium, non sequitur quod esset| ignorans, quia ignorantia ponit privationem respectu alicuius debiti in esse, cuiusmodi non esset in proposito. Unde etiam
 545 non dicimus quod Deus ex hoc sit universaliter perfectus quia intelligit Sortem, et sic diceretur in proposito. Verumtamen eundo ad aliam partem, quae videtur magis rationabilis, concedo quod unus intelligit alium. Et cum dicitur per quid, dico breviter quod quilibet per se ipsum per hoc quod unus est simillimus alteri. Et cum dicitur ergo
 550 unus est forma exemplaris alterius, si per formam exemplarem intelligatur perfectissima rei similitudo, utique verum esset. Si vero aliquod principium, ut argumentum videtur innuere, simpliciter negaretur, quia sic non oportet quod perfectissima rei similitudo sit forma exemplaris eiusdem, sicut de facto dicimus Verbum Dei esse
 555 perfectissimam similitudinem Dei Patris, quod tamen Verbum non dicitur talis forma exemplaris prout includit rationem principii qualitercumque imaginabilis. Sic igitur apparet quid est dicendum ad illud.

42. Ad quintum cum dicitur de dilectione quod tunc unus alio frueretur, hic dico breviter quod proprie nec esset usus nec fruitio inter ipsos sed quidam actus medius, ut iam dictum est in 2^o articulo 2^{ae} quaestionis de perfectionibus essentialibus quarum quaelibet est formaliter infinita. Et tamen actus dilectionis ut sic ad ipsas terminatus non dicitur fruitio vel usus. Et ita non oporteret quod unus alio
 565 indigeret cum non oporteat quod unum alium diligat tamquam finem ultimum.

43. Ad sextum quod dato quod essent duo dii, tunc quodlibet eorum esset omnipotens, hic dico breviter quod deum esse omnipotentem eo modo quo theologi intelligunt, non est nobis demonstrative probatum; nam talem modum philosophi simpliciter negaverunt. Admisso tamen, non habet suum propositum, quia dico quod nullus illorum caderet sub obiecto omnipotentiae. Sicut nunc dicimus de divinis personis, quia nec Pater potest facere Filium non esse nec Spiritum Sanctum vel e contra. Et quando dicitur quod
 575 alterum illorum non esse nullam includit contradictionem, dico breviter quod verum est quod talis propositio negativa non includit contradictionem, et non plus esset tunc quam nunc ista difficultas. Nam Deum non esse non includit contradictionem, et tamen Deus non potest facere se ipsum non esse.

580 **44.** Sed qualiter ergo intelligitur illud principium theologorum communiter divulgatum? Dico quod sic debet intelligi: Deus potest

561 dictum est] PETRI DE CANDIA, *In I Sent.*, q. 2, art. 2.

facere quidquid fieri non includit contradictionem ut exponit Ocham
 in tractatu suo *De principiis theologiae*, et sic apparet quod requiritur
 quod tale super quod cadit factio sit aliquid positivum. Verumtamen
 per hoc non solvitur tota difficultas, quia Sortem non esse non est 585
 C 52vb aliquid positivum, et tamen dicimus quod Deus potest facere Sortem
 non esse. Dico igitur quod illud principium potest sic intelligi: Deus
 potest facere quidquid non includit contradictionem, id est Deus potest
 facere vel destruere omne illud de quo ad hanc propositionem ipsum
 fieri vel destrui, id est fit vel destruitur, non sequitur contradictio. 590
 Nunc autem Deum fieri vel destrui contradictionem includit; nam
 sequitur 'Deus fit, ergo non semper fuit, et per consequens non est
 Deus'. Et similiter sequitur 'Deus fit, ergo talis est Deus'. Similiter
 sequitur 'Deus destruitur, ergo non semper erit, ergo per consequens
 non est Deus'. Et ita ad hanc propositionem Deum fieri vel destrui, 595
 sequitur contradictio manifesta. Propterea Deus non potest facere
 Deum non esse, quia istam negativam antecedit Deum destrui vel
 corrumpi. Sic igitur apparet quid est dicendum ad illas rationis.

<Argumenta Ioannis Duns Scoti>

45. Contra eandem conclusionem arguo per argumenta Doctoris 600
 Subtilis, I *Sententiarum* distinctione 2 quaestione 3 ex sex radicibus,
 videlicet ex parte intellectus infiniti, secundo ex parte voluntatis
 infinitae, tertio ex parte infinitae bonitatis, quarto ex ratione infinitae
 potentiae, quinto ex ratione absolute infinitatis, et sexto ex ratione
 necessitatis. Addit septimam viam, sed quia illa sunt mere credita ut 605
 ipsemet dicit, ideo illam viam dimitto.

600 arguo] per arguo *add. sed del. C*

582 exponit Ocham] Hic tractatus dubiae authenticitatis olim consideratur; cf. GUIL.
 OCKHAM, *Opera Dubia et Spuria*, ed. L. BAUDRY-F. KELLEY (OPh VI, 507-605),
 praesertim p. 507: potest facere omne quod fieri non includit contradictionem. 600
 Doctoris Subtilis] IOANNIS DUNS SCOTI, *Ordinatio*, I, d. 2, p. 1, q. 3, n. 165-181 (ed.
 Vaticana, II, p. 226-236); eiusdem, *Lectura*, I, d. 2, p. 1, q. 3, n. 104-127 (ed. Vaticana,
 XVI, p. 147-154).

46. Arguitur ergo primo sic: intellectus infinitus cognoscit quodlibet intelligibile perfectissime quantae est intelligibile. Si igitur sunt plures dii, cum quilibet eorum habeat ... sequitur quod quilibet eorum cognoscat alium perfectissime quantae est intelligibilis; sed hoc est impossibile, ergo propositum. Consequentia patet et maior. Sed minor probatur, videlicet quod hoc sit impossibile. Sit enim unus istorum deorum *a* et alius *b*. Tunc arguo sic: *a* cognoscit *b*, aut ergo cognoscit *b* per essentiam *b*, aut per suam essentiam. Non primo modo, quia tunc actus cognoscendi ipsius *a* esset posterior ipso *b*, et per consequens *a* non est Deus. Antecedens probatur, quia omnis actus cognoscendi, qui non est idem obiecto, est posterior ipso obiecto cum non sit simul natura cum obiecto nec prius ipso obiecto. Sed actus cognoscendi ipsius *a* est distinctus ab essentia *b* quae est obiectum; ergo propositum. Si autem dicatur quod cognoscit *b* per essentiam suam qua est similima ipsi *b*, aut quod *a* intelligit *b* in ratione speciei communis ipsius *a* et *b*, contra: tunc non intelligit perfectissime *b*, et per consequens non est Deus. Antecedens probatur, quoniam cognitio alicuius in simili et in universali non est cognitio perfectissima et intuitiva ipsius rei in se, et ita *a* non cognoscit *b* intuitive et perfectissime quod est propositum. C 53ra

47. Praeterea, ex eadem radice arguitur sic: aut *a* intelligit *b* unica intellectione, aut distinctis intellectionibus. Sed nullo istorum modorum; ergo propositum. Consequentia et antecedens patent pro prima parte. Sed probo minorem: non unica intellectione, quia rationem actus non potest habere duo obiecta adaequata. Probatio: quia aliter actus adaequaretur alicui obiecto, quo subtracto, non minus quietaretur et adaequaretur, et ita frustra erat tale obiectum. Sed constat quod *a* est obiectum adaequatum suae intellectioni, et *b* similiter esset obiectum adaequatum eidem. Si *a* posset intelligere *b*, ergo impossibile est quod *a* unica intellectione simul intelligat *a* et *b*. Nec secundo modo, videlicet distinctis intellectionibus, quia tunc *a* non esset Deus, cum non esset simplex; quare etc.

48. Praeterea, ex secunda radice arguitur sic: si essent duo dii, quilibet eorum haberet voluntatem infinitam. Et tunc sic: voluntas infinita est recta, ergo diligit quodcumque diligibile quantum est diligibile. Si igitur *b* est alius Deus ab *a*, igitur est infinite diligibilis, et per consequens voluntas *a* diligit *b* infinite. Sed hoc est impossibile. Ergo probatur, quoniam quilibet naturaliter plus se ipsum diligit quam quodcumque ab eo distinctum, nisi concurrat vel ut pars essentialis vel

607 primo sic] IOANNIS DUNS SCOTI, *Ordinatio*, I, d. 2, p. 1, q. 3, n. 166-168 (ed. Vaticana, II, p. 226-228). 639 ex secunda] IOANNIS DUNS SCOTI, *Ordinatio*, I, d. 2, p. 1, q. 3, n. 169-170 (ed. Vaticana, II, p. 228-230).

ut effectus. Sed *b* est distinctum ab *a*, nec est pars *a*, nec eius effectus; ergo *a* naturaliter plus se ipsum diligit quam *b*. Sed voluntas libera potest se conformare voluntati naturali ; ergo si *a* haberet voluntatem liberam rectam, actu elicito plus diligeret se quam *b*. Sed nunc ita est, ergo de facto sic faceret, cum igitur se ipsam infinite diligit, sequitur quod non tante diligit *b* quod erat probandum. 650

49. Praeterea, ex eadem radice arguitur sic: *a* diligit *b*, aut ergo utitur *b* aut fruitur *b*. Non est dicendum quod utitur *b*, quia tunc *a* haberet voluntatem inordinatam cum *b* non sit ad aliud referibile. Si ergo fruitur *b* et similiter fruitur *a*, ergo *a* est beatus tam in *a* quam in *b* ut in obiecto; sed hoc est impossibile, ergo etc. Probatur: nihil potest esse beatum in duobus obiectis beatificantibus totaliter; sed tam *a* quam *b* sunt talia ex quo unum non dependet ab alio; ergo etc. Probatur maior, quoniam si *b* non esset, non minus *a* esset beatum, et si *a* non esset, non minus *b* esset beatum. Ergo sequitur quod ambo non concurrunt ut obiecta totaliter beatificantia; quare propositum. 655 660

50. Praeterea, ex tertia radice arguitur sic: voluntas ordinate potest amare et appetere maius bonus; sed plura bona infinita, si sunt, plus includunt bonitatis quam unum solum bonum infinitum; ergo voluntas plus posset ordinate amare plura bona infinita quam unum solum, et per consequens in nullo obiecto uno infinito quietaretur; sed hoc est contra rationem boni quod sit infinitum et non sit quietativum cuiuscumque voluntatis; quare propositum. 665

51. Praeterea, ex quarta radice arguitur sic: impossibile est duas causas totales esse eiusdem effectus in eodem ordine causae; sed si essent duo dii, essent duae causae totales; ergo impossibile est ipsos esse. Consequentia patet, et maior declaratur, quoniam dato opposito maioris staret aliquid esse causam alicuius a quo non dependeret, quod est absurdum. Probatur: a nullo aliquid essentialiter dependet quo non existente non minus esset; sed si *c* habet duas causas totales, puta *a* et *b*, in eodem ordine causae, utrolibet eorum non existente, nihilominus esset ipsum *c*, quia non existente *a* et existente *b*, adhuc est ipsum *c*. Similiter non existente *b* et existente *a*, adhuc est ipsum *c*. Ergo videtur a nullo illorum essentialiter dependere ipsum *c*. Et minor apparet, quoniam Deus ex sua ratione dicit causam primam cuiuslibet effectus; quare propositum. 670 675 680

52. Praeterea, ex eadem radice arguitur sic: nihil finitum essentialiter ordinatur ad duos fines; sed si essent duo dii, ita esset;

662 ex tertia] IOANNIS DUNS SCOTI, *Ordinatio*, I, d. 2, p. 1, q. 3, n. 171 (ed. Vaticana, II, p. 230). 669 ex quarta] IOANNIS DUNS SCOTI, *Ordinatio*, I, d. 2, p. 1, q. 3, n. 172-173 (ed. Vaticana, II, p. 230-231). 682 ex eadem] IOANNIS DUNS SCOTI, *Ordinatio*, I, d. 2, p. 1, q. 3, n. 174 (ed. Vaticana, II, p. 231-232).

ergo hoc non est possibile. Consequentia et minor patent et maior ex
 685 hoc, quoniam nihil est ordinatum ad aliquem finem quo non existente
 nihilominus esset finitum; sed si essent duo fines, quocumque illorum
 non existente, non minus illud esset finitum et excessum essentialiter,
 et per consequens esset finitum sine quocumque fine, quod est
 absurdum. Relinquitur ergo quod impossibile est duos tales fines esse
 690 et per consequens et duos deos; quod est propositum.

53. Praeterea, ex quinta radice arguitur sic: quaecumque
 perfectio potest numerari in diversis, plus perfectionis habet in
 pluribus quam in uno solo; sed infinitum non potest habere plus
 perfectionis in uno solo quam in pluribus; ergo nec potest numerari in
 695 diversis; et per consequens repugnat rationi infinitatis multiplicatio
 numeralis. Consequentia et maior patent. Et minor ex hoc apparet,
 quoniam quod non potest excedi, non plus perfectionis dicit in uno
 quam in pluribus; sed infinitum non potest excedi, quia aut per
 finitum, aut per infinitum. Non per finitum, cum sit minus. Nec per
 700 infinitum cum sit aequale; ergo propositum.

54. Praeterea, ex sexta radice arguitur sic: species plurificabilis
 in individuis non determinatur ex se ad certum numerum
 individuorum, sed quantum est ex se compatitur infinitatem
 individuorum, sicut patet in omnibus speciebus corruptibilibus. Ergo
 705 si ratio 'necesse esse' sit plurificabilis in individuis, non determinat se
 ad certum numerum sed compatitur infinitatem quantum est ex se,
 sequitur quod cum necesse esse non incipiat esse sed totum est in esse
 positum, quod si possunt esse infinita necesse esse, iam de facto sunt;
 et per consequens esset infinitas deorum quod mens abhorret; quare
 710 propositum.

55. Praeterea et ultimo, ex eadem radice arguitur sic: si sunt
 plura necesse esse, aliquibus perfectionibus realibus distinguuntur;
 sint illae *a* et *b*. Tunc sic: aut illa distincta per *a* et *b* sunt formaliter
 necesse esse per *a* et *b*, aut non. Si non, igitur *a* non est ratio formalis
 715 essendi necessario, nec *b* similiter, igitur nec includens *a* est
 necessarium. Probatio, quia includit aliquam entitatem quae non est
 formaliter necessitas essendi nec necessaria ex se, et ita est de *b*; ergo
 propositum. Si autem ista sint formaliter necesse esse per *a* et *b* et
 praeter hoc utrumque est necesse esse per illud in quo convenit unum

714 b] et *add.* C

691 ex quinta] IOANNIS DUNS SCOTI, *Ordinatio*, I, d. 2, p. 1, q. 3, n. 175 (ed. Vaticana, II, p. 232). 701 ex sexta] IOANNIS DUNS SCOTI, *Ordinatio*, I, d. 2, p. 1, q. 3, n. 176 (ed. Vaticana, II, p. 232). 711 eadem radice] IOANNIS DUNS SCOTI, *Ordinatio*, I, d. 2, p. 1, q. 3, n. 177 (ed. Vaticana, II, p. 233-234).

cum alio, igitur utrumque habet in se duas rationes quarum utraque formaliter est necesse esse. Sed hoc est impossibile, quia neutra istarum includit alteram. Utraque igitur istarum circumscripta, esset tale necesse esse per reliquam et ita aliud esset formaliter necesse esse per rationem aliquam, qua circumscripta, non minus esset necesse esse, quod est impossibile. Istaesunt rationes istius doctoris quibus movetur ad tenendum oppositum illius quod teneo. Sed quamvis istae rationes verum concludant, non tamen illud demonstrat sive convincunt ad quas per ordinem est respondendum.

<Contra argumenta Scoti>

56. Ad primam igitur rationem cum dicitur si essent duo dii unus cognosceret alium perfectissime, concedo. Et cum dicitur quod hoc est impossibile, nego. Ad probationem cum dicitur, quia autem per essentiam propriam *a* intelligeret *b*, dico breviter quod *a* per essentiam propriam intelligeret *b*, et quando dicitur quod tunc cognosceret in simili et per consequens non intuitive, hic dico breviter quod in tali casu imaginandum est quod essent duo intelligere respectu omnium rerum. Et sicut nunc imaginamur quod aliquid intelligere excedit suum obiectum, aliquid exceditur a suo obiecto et aliquid aequatur suo obiecto, ita esset ibi quod essent duo intelligere omnium rerum et quodlibet illorum esset notitia intuitiva cuiuslibet rei. Nam Deus intuitively cognoscit Sortem, nec tamen per speciem receptam a Sorte vel per essentiam Sortis immediate, sed per suam essentiam quae est perfectissima similitudo Sortis, et tamen non sequitur quod si per huiusmodi similitudinem cognoscit, quod non intuitive cognoscit. Ita est in proposito: *a* per propriam essentiam cognosceret *b* quae est perfectissima similitudo *b* et cum hoc intuitive, quia ut alias dictum est in tertio articulo prologi, notitia intuitiva non semper est per praesentiam rei; quare propositum.

57. Ad secundam cum quaeritur: vel *a* intelligit *b* unica intellectione et similiter se ipsum, vel pluribus, dico breviter quod unica. Et quando dicitur quod tunc idem actus haberet duo obiecta adaequata, dico quod hoc non sequitur. Et ratio est, quia ex quo *a* non intelligit *b* nisi per essentiam *a*, sequitur quod obiectum immediate terminans intellectionem *a* est sua essentia et nihil aliud concurrat ibi, sed tunc sua essentia, cum sit intelligere cuiuslibet rei, repraesentat quamlibet rem, sicut nunc dicimus de Deo quod Deus non habet infinita obiecta in quae suus intuitus terminetur, sed primo et

730 Ad primam] Cf. supra n. 46. **746** alias dictum] PETRI DE CANDIA, *Lectura in I Sent.*, prol., art. 3. **749** Ad secundam] Cf. supra n. 47.

immediate suam essentiam quae sibi simul omnia existentia
repraesentat, et sic est in proposito. Et ideo illi actui non correspondet
760 primo nisi unum obiectum; quare etc.

58. Ad tertiam cum dicitur de voluntate infinita quia tunc unus
alium infinite diligeret, hoc breviter concedo. Et quando dicitur quod
non, quia quilibet plus naturaliter diligit se ipsum quam alium, hic
765 dico quod non oportet. Nam de facto Deus Pater se ipsum diligit et
non plus naturaliter se ipsum diligit quam diligit Verbum vel Spiritum
Sanctum, et tamen de facto sunt distincti. Ergo ratio distinctionis non
videtur causa quare unus non possit naturaliter alium tantum diligere
sicut semetipsum.

59. Et si DICATUR quod responsio non videtur ad propositum
770 bona, nam ex quo illi duo habent distinctas naturas, unus potius vellet
suum conservare esse quam alterius, DICO breviter quod ita posset dici
de Deo Patre respectu suae proprietatis. nam paternitas non est filiatio,
et tamen falsum(?) est quia aequivalenter vult se esse Patrem et
omnem rationem quae concurrat ad suum esse sicut de Filio; quare
775 similiter in proposito.

60. Ad quartum cum quaeritur aut utitur aut fruitur, dico
accipiendo fruitionem prout dicit actum terminatum ad aliquid
beatificativum illius cuius est actus talis fruitionis quod nec utitur nec
fruitur. Et ratio est, quia quilibet illorum in tali casu esset essentialiter
780 beatitudo, et per consequens non per aliquod extrinsecum est beatum,
sed se ipso. Et ideo de necessitate unus erga alium habet actum qui
nec est usus nec fruitio, ut dictum est in responsione ad quintum
argumentum domini Bonaventurae a quo iste doctor sumpsit
fundamentum suae rationis. C 54ra

61. Ad quintum cum dicitur quod voluntas ordinate potest amare
magis bonum, sed si sunt duo infinita, sunt maius bonum, hic dico
breviter quod licet magis bonum potest dupliciter intelligi: intensive vel
extensive. Sicut verbi gratia, signo individua eiusdem speciei
aequaliter participantia quidditatem specificam, tunc certum est quod
790 duo sunt maius bonum extensive, licet non intensive. Ita conformiter
diceretur si essent duo talia infinita, essent maius bonum extensive,
sed intensive non. Et ita posset esse correspondenter dilectio ex parte
nostra, sed ex parte illorum non, cum ipsorum essentia sit ipsorum
actus dilectionis qui nec est intensibilis nec remissibilis, et ideo unico
795 actu dilectionis respiceret se et quodlibet aliud; quare etc.

758 omnia] sibi *add. sed del.* C

761 Ad tertiam] Cf. supra n. 48. 776 Ad quartum] Cf. supra n. 49. 782 ad quintum] Cf.
supra n. ?? 785 Ad quintum] Cf. supra n. 50.

62. Ad sextum cum dicitur quod impossibile est duas causas totales esse etc., dico breviter quod istud argumentum assumit mere creditum quod Deus sit causa effectiva, quod philosophi negaverunt. Verumtamen eundo adhuc ad intentionem suam, concesso antecedente, dico ulterius pro materia argumenti quod in tali casu non esset necesse quod si unus ageret quod alius ageret, sicut nunc dicimus de individuis eiusdem speciei, et ideo si unus illorum vellet producere unum mundum, non est necessitatus alius ad producendum eundem. Et tunc talis mundus productus haberet ordinem ad Deum a quo est productus, et non ad alium. Et ita per consequens non sunt duae causae totales respectu eiusdem effectus. Vel posset dici quod

63. Et si DICATUR quod si unus non esset, non minus alius esset causa totalis, ergo non sunt una, dicendum quod argumentum NON VALET, quia sic diceretur quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus non sunt una causa totalis per hoc quia si Spiritus Sanctus non esset, non minus Pater esset causa totalis. Prima tamen responsio videtur rationabilior ex quo in rei veritate unus essentialiter esset ab alio distinctus.

64. Et si DICATUR quod hoc non apparet verum, quia oportet quod eo ipso quod aliqua res distincta a Deo producitur quod statim Deus producat illam, hic DICO quod hoc non est evidenter demonstratum quod Deus concurrat effective semper cum causa secunda; quare etc.

65. Ad septimum cum dicitur nihil finitum essentialiter ordinatur ad duos fines, ad hoc breviter dicitur sicut ad immediate praecedens, quoniam Deus qui producit unum mundum esset finis illius et non alius.

66. Et si DICATUR quod si alius Deus non est finis ultimus, per consequens non est Deus, DICO quod non sequitur accipiendo li finem ultimum prout dicit actum. Si vero caperetur prout dicit habitum, falsum esset, quia iste posset mundum producere cuius esset finis.

67. Ad octavum cum dicitur quod ratio infiniti non potest in diversis numerari per hoc quod non potest excedi, dico quod infinitum excedi potest intelligi vel intensive vel extensive. Intensive non potest excedi nec sic potest in diversis numerari. Sed extensive, falsum est, ut apparet in revolutionibus solis et lunae et similiter in denominationibus perfectionis simpliciter; quare etc.

68. Ad nonum cum dicitur quod species plurificabilis in individuis non determinat certum numerum et per consequens si necesse esse sic se haberet, iam essent infinita talia, dico breviter quod

796 Ad sextum] Cf. supra n. 51. 819 Ad septimum] Cf. supra n. 52. 827 Ad octavum] Cf. supra n. 53. 833 Ad nonum] Cf. supra n. 54

hoc non sequitur. Nam sicut ex natura rei triangulus est determinatus ad tres angulos, ita ratio necessitatis ad tria vel quatuor individua, sicut nunc de facto dicimus quod divina natura ex natura rei est determinata ad tria supposita et non ad plura, et ita non habetur
840 infinitas suppositorum.

69. Ad ultimum cum dicitur quod si sunt plura necesse esse aliquibus perfectionibus essentialibus distinguuntur, dico breviter quod sic. Et quando quaeritur: vel illae sunt necesse vel non, dico quod sic. Et quando dicitur quod praeter hoc quodlibet illorum est
845 necesse esse, nego illud. Imaginatur namque ista ratio quod per aliquam rationem necessariam convenit unum cum alio et per aliam differt. Quod nego simpliciter, immo illa duo necesse esse se ipsis conveniunt et se ipsis differunt, sicut dictum est ad secundam rationem Avicennae fundamentum suae rationis.

70. Et sic apparet solutio rationum Doctoris Subtilis quae in rei veritate multa includunt non demonstrative probata, ut quod Deus intelligat extra se quod habet intellectum infinitum quod velit. Et sic quasi quaelibet ratio aliquid includit creditum vel probabile tantum.

<Argumenta Ioannis de Ripa>

71. Contra eandem conclusionem tangit magister Ioannes de Ripa tria media. Quorum primum est hoc in radice: si sunt duo dii, sequitur quod quilibet eorum est universaliter perfectus. Tunc quaero: aut illi duo dii simul ponunt maiorem perfectionem intensive et extensive quam unus solus, aut non. Si sic, sequitur quod neutrum
855 eorum est universaliter perfectus. Si non, ergo non sunt essentialiter distincti, sed potius sicut divinae personae quae simul non ponunt maiorem perfectionem quam una illarum.

72. Praeterea, secundo arguit sic, et sumit primum argumentum quod fecit Doctor Subtilis, de quo dicit quod non bene prosequitur: sint *a* et *b* illi duo dii, tunc *a* intelligit *b*, vel igitur per essentiam suam, vel per rationem cognoscendi, vel per essentiam *b*. Non| primo modo, quia tunc essentia *a* esset formalis ratio inferendi *b* esse, vel ergo a priori, vel a posteriori, vel ab aequali. Non primo modo, quia tunc *a* esset causa *b*, et per consequens *b* non esset Deus. Nec a posteriori,
865 quia tunc *a* esset effectus *b* et per consequens non esset Deus. Nec a ... seu aequali, quia unum est ab alio infinite distinctum. Si ergo intelligeret per essentiam ipsius *b*, tunc vel *b* esset formaliter notitia ipsius *a*, vel concurrat obiective ad causandum in *a* sui notitiam. Non primo modo, quia tunc *a* esset potentialis respectu *b*. Nec secundo

C 54va

841 Ad ultimum] Cf. supra n. 55. **848** ad secundam] Cf. supra 27. **855** Contra eandem] Id est, contra conclusionem 5; cf. supra n. 12-13.

modo pari ratione, immo perfectior est essentia *a* quam sit ipsa 875
qualitas; quare propositum.

73. Praeterea, quilibet effectus clamat naturaliter unum primum.
Ergo si sunt plures dii, non plus unus est primum quam alius, et per
consequens sunt duo prima, et ita effectus vel clamat utrumque vel
nullum. Non est dicendum quod utrumque, quia tunc ab effectu aequae 880
naturaliter procederetur ad utrumque et tunc evidenter per effectus
probaretur plures deos esse sicut probatur unum, quod falsum est. Si
ergo dicatur quod nullum, falsum est, cum quilibet effectus clamat
causam; quare propositum.

<Ad argumenta Ioannis de Ripa> 885

74. Ad istas rationes breviter ego respondeo. Ad primam cum
dicitur aut illi duo ponunt maiorem perfectionem, dico quod sic
extensive. Et cum infertur, ergo neuter est perfectus simpliciter, nego
consequentiam extensive diceret adversarius quod Deus quia
habet diversas partes et cum hoc Deum, et tamen ex hoc non sequitur 890
quod Deus non sit universaliter perfectus.

75. Ad secundam cum dicitur *a* intelligit *b*, aut per essentiam
suam, dico breviter quod essentiam suam ut rationem cognoscendi. Et
tunc cum infertur, ergo essentia sua, videlicet *a*, est ratio inferendi *b*,
ergo sequitur *a* est, ergo *b* est, dico quod non oportet quod si per 895
essentiam suam cognoscit *b*, quod essentia sua sit ratio inferendi *b*.
Nam Deus per essentiam suam cognoscit futurum contingens, et
tamen essentia sua non est ratio inferendi futurum contingens, quia
non sequitur Deus est, ergo futurum contingens est vel erit; quare etc.

76. Ad tertium dico breviter quod licet ita sit quod quilibet 900
effectus clamet unum omnium primum, non tamen hoc est nobis
convincenti ratione demonstrabile quovis modo, non plus de uno
quam de duobus, licet ratio probabilis melius manuducat unum tale
quam plures. Et sic apparet quod adhuc conclusio illa manet in vigore.
Et sic iste secundus articulus terminatur. 905